

# EPISTULA LEONINA

## CXVI

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM SEXTAM DECIMAM (116) !**

**ARGUMENTA**

DE IACOBI LONDONII VITA OPERIBUSQUE.....	04-16
DE SECURITATE SOCIALI.....	17-19

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam  
centesimam sextam decimam. –*

*Hac in Epistulâ Leoninâ agitur de vitâ auctoris Americani illustrissimi, qui  
in claritudinem pervênit fabulis suis adventurarum (quas magnam partem  
non mente confingebat, sed ipse expertus erat). Loquor de Iacobo  
Londonio (**Jack London**), auctore fabularum, quae inscribuntur  
»Vocatus silvarum« (The Call of The Wild) et »Leucodon« (White Fang)  
et »Lupus marinus« (The Sea-Wolf). Affirmat quidem îdem auctor se  
potius esse rusticum quam poetam et malle porcos alere quam libros  
scribere suumque opus gravissimum esse praedium suum rusticum,  
quod appellavit Beauty Ranch; tamen puto hoc ab illo potius modestiâ  
simulatâ dictum esse quam amore veritatis. Nam quis est, cuius animus  
non inflammetur adventuris a Londonio ingeniosissimê narratis? Nuper  
statui, ut **Lupum marinum** Londonianum togâ induerem; cara Lectrix,  
care Lector, fave incepto meo!*

*Denique plurimum tibi commendo eximiam symbolam socio-  
oeconomicam, quam scripsit Paulus Kangiser Iacobopolitanus "**De  
securitate sociali**". TOLLE LEGE LAETARE – ET FRUERE ULTIMIS  
DIEBUS AESTIVIS!*

**Pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
die Martis, 30. m. Aug., a.2016**



## AURI SACRA FAMES

### VERGILIUS, Aeneis III 49-57

Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno  
 infelix Priamus furtim mandaratum alendum 50  
 Threicio regi, cum iam diffideret armis  
 Dardaniae cingique urbem obsidione videret.  
 Ille, ut opes fractae Teucrum et Fortuna recessit,  
 res Agamemnonias victriciaque arma secutus  
 fas omne abrumpit: Polydorum obruncat, et auro 55  
 ui potitur. **Quid non mortalia pectora cogis,  
 auri sacra fames!**

## DE IACOBI LONDON VITA OPERIBUSQUE



**JACK LONDON**, qui d.12. m.Ian. a.1876 Franciscopoli in urbe est natus nomine *John Griffith Chaney* et mortuus d.22. m.Nov. a.1916 in oppido *Glen Ellen* Californiensi, civis Civitatum Unitarum, fuit diurnarius atque auctor fabularum. Qui praecipuê in claritudinem pervênit fabulis adventurarum<sup>1</sup> romanis, quae inscribuntur »Vocatus

---

<sup>1</sup> +**adventūra**, -ae f. Licet nonnulli sermonis puri adoratores hoc verbum mediaevale respuant nares corrugantes. At pro certo habeo notionem, quae anglicè appelletur "adventure" (fr. *aventure*; hisp./port./catal. *aventura*; ital. *avventura*; ngr. *περιπέτεια*; theod. *Abenteuer*) parum sufficienter Latinè reddi verbo *periculi* (cfr angl./fr. *danger*; hisp. *peligro*; port. *perigo*; catal. *perill*; ital. *pericolo*; ngr. *κίνδυνος*; theod. *Gefahr*).

silvarum<sup>2</sup> et »Leucodon«<sup>3</sup> et fabulâ adventurariâ compluribus ad cinema redactâ, c.t. »Lupus marinus«<sup>4</sup> necnon fabulâ, c.t. »Martinus Eden« (*Martin Eden*), ad quam vita auctoris ipsius habuit vim. His ex operibus apparet, quas regiones Londonius obiisset: Americae borealis partem arcticam (*Klondike*) cognoverat aetate febris auripetae<sup>5</sup>, Californiam et Mare Pacificum et itinera in eodem facienda. Londonius iam puer asperitatem vitae egenae expertus, postquam auctor clarus factus est, tractatibus suis politicis saepe defendebat homines pauperes et confitebatur se esse assectatorem socialismi, quem colebat suo more proprio. Auctor, qui ferê usque ad mortem suam fuit membrum politicae partis socialisticae Civitatum Unitarum, a.1901 frustrâ candidatus eiusdem partis politicae petiverat munus burgimagistri Dryopolitani<sup>6</sup>. Opera Londoniana ubique terrarum percrebruerunt et in numerosas linguas conversa sunt.

## De vitâ Iacobi Londonii

### Londonius quâ origine fuerit.

Iacobus Londonius Franciscopoli natus est infans illegitimus *Florae Wellman* (1843–1922), quae orta erat e gente frugali<sup>7</sup>, et *Vilelmi Henrici Chaney* (1821-1903) philosophi, astrologi, praedicatoris migratorii<sup>8</sup>, qui ipse sibi imposuerat cognomen professoris. At îdem Vilelmus Henricus Chaney postea a Iacobo viginti unum annos nato per litteras interrogatus negavit se esse eius patrem affirmans se esse

<sup>2</sup> »Vocâtus silvârum«: orig. *The call of the Wild*; theod. *Ruf der Wildnis*; fr. *L'Appel de la forêt*, hisp. *La llamada de lo salvaje*, ital. *Il richiamo della foresta*; tituli Brasiliiani: *O Grito da Selva*, *O Chamado da Selva*, *O Chamado da Floresta e Chamado Selvagem*, Tituli Lusitani: *Apelo da Selva: o grito da floresta*.

<sup>3</sup> »\*Léucodōn«, Leucodōntis m. - orig. *White Fang*; theod. *Wolfsblut*; fr. *Croc-Blanc*; hisp. *Colmillo Blanco*; lusit. (brasil.) *Caninos Brancos*; ital. *Zanna Bianca*; ngr. *Ο Ασπροδόνητης*)

<sup>4</sup> »Lupus marinus«: orig. *The Sea-Wolf*; fr. *Le Loup des mers*; hisp. *El lobo de mar*; lusit. *O Lobo do Mar*; ital. *Il Lupo dei mari*, *Il lupo di mare*; dacorum. *Lupul de mare*; ngr. *Ο Θαλασσόλυκος*) *Lupum marinum Londonianum* (*The Sea-Wolf, New York 1904*) coepi in Latinum vertere. Proximâ in EL tu leges, cara Lectrix, care Lector, primam partem Lupi marini Latinê redditi.

<sup>5</sup> febris auripeta: orig. *gold rush*; theod. *Goldrausch*; fr. *fièvre de l'or*; hisp. *fiebre del oro*; lusit. *febre do Ouro*; ital. *febbre dell'oro*; dacorum. *goana după aur*, *febra aurului*. - Ceterum verbum angl. et theod. non idem significant (sunt inter se „amici falsi“, ut aiunt Francogalli: „rush“ est i.q. multorum concursus tumultuarius, impetus, sed „Rausch“ est i.q. ebrietas, crapula.

<sup>6</sup> *Dryópolis*, -is f. i.q. *Oakland*. Aliud nomen proponunt Vicipaediani: *\*Quercupolis*. Sed praefero formam merê Graecam, non hybridicam. – De ratione, quae intercessit inter Londonium et Partem Civitatum Unitarum Socialisticam v. ([Memento](#) d.13. m.April a.2014 in [Internet Archive](#)) apud [kirjasto.sci.fi](#).

<sup>7</sup> Vita *Florae Wellman-London* descripta invenitur apud [london.sonoma.edu](#)

<sup>8</sup> v. Michail Krausnick: *Jack London*. p. 8.



generandi impotentem. Biographi autem Londonii hodierni ferê omnes putant Vilelmum Henricum Chaney fuisse Iacobi Londonii patrem<sup>9</sup>, tamen testimoniis hoc non certê demonstrari potest.

D.4 m.Iun. a.1875 in ephemeride, c.t. *San Francisco Chronicle*, relatum est Floram Wellman a Vilelmo Henrico Chaney (qui ambo spiritismo dediti essent) e domo fugatam esse, quia non assensa esset foetui abigendo. Deinde Flora conata est mortem sibi consciscere eo, quod opii dosi immodicâ sumptâ sibi tempus alterum iaculando percussit; at fieri potuit, ut vita Florae servaretur.



**Tabula memorialis in loco domûs Londonianae natalis, Franciscopoli, in angulo Viae 3ae et Viae Brannianae posita**

D.7. m.Sept. a.1876 *Flora Wellman* nupsit *Iohanni Londonio*, militi veterano e civitate Pennsylvaniae orto, qui victum quaeritabat tignarius et agricola et mercator machinas sutorias vendens. Par coniugum transmigravit Dryopolin, ubi Iohannes Londonius condidit tabernam mercium colonialium<sup>10</sup>. Vitricus puerum adoptavit, ut ei imponeretur

<sup>9</sup> cfr John Sutherland: „Introduction to *John Barleycorn*“. In: *John Barleycorn*. Oxford University Press, Oxford 1998.

<sup>10</sup> cfr Thomas Ayck: *Jack London*. Rowohlt, Reinbek 2000, p. 15 sq

nomen vitrici gentilicium. Familia plerumque vitam degit egenam annisque sequentibus intra regionem Sinûs Franciscopolitani compluries transmigravit, quia Iohannes Londonius iterum iterumque conabatur agrum colere novis in fundis; at nullus conatus feliciter successit.

A.1886 familia ultimo remigravit Dryopolin. Quia Iohannes Londonius eo tempore magnam partem fuit invalidus, eius uxori et privigno Iacobo victus familiae erat quaeritandus. Iacobus eo tempore plerumque vivebat in domo *Virginiae Prentiss* servae quondam mulieris, quae a matre Florâ mercedem accipiens quodammodo facta est alumna pueri, quae magis valuit ad puerum educandum quam mater eius naturalis<sup>11</sup>. Utraque mulier – et mater et alumna – Iacobo Londonio fuerunt superstites. Ultimis annis aetatis suae Flora et Virginia in eâdem domo unâ vixerunt.

### De Iacobi pueritiâ et adulescentiâ



**Ecce Iacobus novem annos natus  
unâ cum cane suo, qui vocatur *Rollo*, a.1885**

<sup>11</sup> Quantum valuerit „mamma“ *Virginia Prentiss* ad Iacobum, explicatur apud [parks.ca.gov](http://parks.ca.gov)

Iacobus Londonius puerili iam aetate ephemerides distribuens, cauponem adiuvans, in officinâ conservaculorum<sup>12</sup> laborans debuit conferre ad victum familiae quaeritandum. Tredecim annos natus cum esset, Londonius scholâ superiore relictâ factus est operarius. In Civitatibus Unitis a.1900 adhuc duo miliones parvulorum, qui aetate minore erant quam sedecim annorum, ruri aut in officinis industrialibus operabantur. Scilicet valetudinem eorum afflictam esse. Anno 1905 demum lêges sunt latae, quibus miseria talium parvulorum est aliquatenus deminuta.

Iacobus iam puer legebat fabulas romanicas, praesertim in bibliothecis publicis commodatas. *Ouida* auctrix anglica aliquatenus valuit ad indolem Londonii fovendam. Sed maxima fautrix atque fotrix Iacobi fuit *Ina Coolbrith*, quae illo tempore fuit cooperatrix bibliothecae urbanae Dryopolitanae (postea autem Franciscopoli in claritudinem pervênit); Ina Londonio adulescenti legendi atque discendi cupido suadebat, quosnam libros legeret, studia Iacobi discendi sincera et gravia esse cognoscens Iacobum adhortata est, ut suo Marte discere pergeret. Quadam in epistulâ a.1901 scriptâ Londonius Inam Coolbrithiam dicit fuisse illo tempore adiutricem mentis suae praestantissimam eamque appellat suam „deam“<sup>13</sup>.

Iacobus quindecim annos natus pecuniam mutuatus navem sibi êmit, factus est ostreopirata<sup>14</sup> omnium in Sinu Franciscopolitano aetate minimus et vendebat mercem suam in mercatu Dryopolitano; plebeculae placebat, quod in Sinu Franciscopolitano ostreoso - magistratibus quamvis contra legem plerumque coniventibus - ostrea deligebantur, ut vênirent<sup>15</sup>. Londonius, cum navis eius a sui gregis adversariis accensa et demersa esset, se voluntariê adiunxit astyphylacibus Sinûs Franciscopolitani piscatoriis, ut unâ cum iis pugnaret contra illegitimos Sinenses cammarícipes<sup>16</sup> et Graecos salmonipetas<sup>17</sup>; ab hóc munere destitit septendecim annos natus<sup>18</sup>.

<sup>12</sup> officīna \*conservāculōrum: angl. *cannery*; fr. *conserverie*; hisp. *fábrica de conservas*; ital. *conservificio*; theod. *Konservenfabrik*.

<sup>13</sup> Quae ratio intercesserit inter Inam et Iacobum, legas in: [jacklondon.net](http://jacklondon.net)

<sup>14</sup> \***ostreopīrāta**, -ae m. orig. ***oyster-pirate***, theod. *Austernpirat*.

<sup>15</sup> cfr Thomas Ayck: *Jack London*. p. 19 sqq.

<sup>16</sup> \***cammaríceps**, cammarícipis m. i.e. captor cammarōrum. angl. ***shrimp catcher***; theod. *Garnelenfänger*.

<sup>17</sup> \***salmōnipeta**, -ae m. angl. ***salmon poacher***; theod. *Lachswilderer*.



Postquam nonnulla itinera fecit - e.g. phocas venatus est in Iaponiam navigans et habitaculi expers migravit operarius - Iacobus Londonius institutione scholari diutius interruptâ tandem examen scholae superioris finale superavit, deinde (a.1896) Universitatis Berkeleyanae examen admissionis, quod dicebatur esse difficile. A.1896/97 per unum semestre studuit disciplinae pernoscendae, sed pecuniâ deficiente universitatem reliquit neque umquam postea examen universitatis finale superavit.

### **Febris auripeta et successus scribendi prosperus**

In Californiâ nuntiatum erat ad *Klondike* flumen Canadianum inventum esse aurum. Londonius febris auri petendi correptus d.25. m.Iul. a.1897 unâ cum *Iacobo Shepard* – marito *Elizae* sororis suae non germanae, quam *Iohannes Londonius* genuerat cum uxore suâ priore<sup>19</sup> – ceterisque adventurarum cupidis iter fecit in regionem Americae borealem. Iacobus Londonius per breve spatium temporis frustrâ conatus est ad flumen *Yukon* invenire aurum<sup>20</sup>.



**IMITAMENTUM MODERNUM CASAE, QUAM IACOBUS LONDONIUS A.1898  
INHABITAVIT IN OPPIDO *DAWSON* PROPE INSULAM STEWARTIANAM  
AD FLUMEN *YUKON* SITO**

<sup>18</sup> Quid Iacobus Londonius egerit apud astyphylaces piscatorios regionales lege hoc loco: [Memento](#) d.17.m.Mart. a.2014 in: [Internet Archive](#)) glanzundelend.de

<sup>19</sup> De Elizâ et Iohanne Shepard lege apud: [london.sonoma.edu](http://london.sonoma.edu)

<sup>20</sup> cfr fabula illustris, c.t. *Burning Daylight*; fr. *Radieuse Aurore*; tituli theodisci: *Lockruf des Goldes*, *Goldrausch*, *Lockendes Gold*.



**ECCE AURILEGULUS IN RIVO SABULUM PERCOLANS**



**LANX CUI INEST HARENA AUREA**




**ECCE BALUCES**

*(balux, -ucis f. PLIN.nat.33,7 ; COD.IUST.11,7,1 grana auri i.q. anglice ,nuggets').*

Brevi post Londonius inops in Californiam reversus praecipuê fabulis suis bestiarum narrationibusque de vitâ durâ hominum simplicium scriptis in tantam claritudinem pervênit, ut libri sui plurimum divenderentur. Antequam fieri potuit, ut primum tomum narrationum breviorum publicaret, ab ephemeridum librorumque editoribus

acceperat centum ferê recusationes. At deinde eadem narratiunculae sunt editae, quae cum spiritu temporis tam bene congruerunt, ut legerentur avidissimê.



**AURILEGULI AURIFOSSORESQUE EXSPECTANT,  
DUM IN ALBUM REFERANTUR FUNDI SIBI DETERMINATI (*claims*)**

Londonius enim fabulis suis romanicis, relationibus diurnariis, symbolarumque seriebus, quas publicabat brevi tantum spatio intermisso mox factus est opulentus. Mercede scribendi usus celocem curavit secundum consilia propria construendam, cui nomen imposuit *Snark*<sup>21</sup>. Qua nave vectus Iacobus fecit complura itinera maritima diuturna, e.g. per Havaiam et meridionalem Oceanum Pacificum pervênit usque ad Australiam, ubi ei aegroto per complures menses in nosocomio erat manendum, usquedum reconvalesceret. Londonius cum auctor fabularum atque diurnarius inclaruisset, munera lucrativa ei mandata sunt numerosa, velut relator celatus per menses vixit in tribu Londinensi egenissimâ et in bello russo-iaponico relator diurnarius in vincula coniectus est.

A.1906 ipse terrae motum Franciscopopolitanum saeculi vehementissimum ipse testis oculatus expertus pro periodico

<sup>21</sup> Quo allusit ad poema ipsius *Lewis Carroll* nugacissimum, c.t. *The Hunting of the Snark*, a.1876.

hebdomadali, c.t. *Collier's*, relationem conscripsit<sup>22</sup>. A.1910 Londonius unâ cum uxore recessit in praedium in *Sonoma County* situm a se emptum, quod vocavit *Beauty Ranch*. Hoc praedium hodie inspici potest statu originali conservatum<sup>23</sup>. Ibidem Iacobus voluit vitam degere, quam appellabat „naturalem“, i.e. a vitâ modernâ ad rationem industrialem redactâ quam remotissimam. Quâ voluntate Londonius tamen non inhibitus est, quin magnam porculationem ageret eo fine, ut in certamine publico acciperet praemium (quod ei feliciter successit)<sup>24</sup>. Iacobus Londonius affirmavit ipse se potius esse rusticum quam diurnarium aut auctorem fabularum; se non scribere nisi ad praedium suum rusticum conservandum; hoc sibi esse opus vitae suae proprium.

In fabulâ autobiographicâ a.1913 divulgatâ, quae inscribitur *John Barleycorn*, Londonius tractavit morbum suum alcoholicum. Quo in libro Iacobus contendit se per totam ferê vitam suam bibisse magnas copias alcoholis, sed sine ullâ voluptate. Docti autem inter se dissentiunt, quam credibilia sint haec verba. Thesi huius libri principali auctor sentit alcoholem esse daemonem, cuius causâ per conventum viris permittatur, ut sint sociales, sed eosdem denique in morbum incidere et destrui.

Londonius autem speravit mulieres iure suffragii accepto id assecuturas esse, ut alcohol prohiberetur et nova genera consociationis invenirentur, quibus non efficeretur obnoxietas morbosa. At Iacobus haud certê scivit, quonam modo fieri posset, ut mulieres haec efficerent; haec incertitudo Londoniana eo potius apparet, quod îdem auctor de generibus socialitatis muliebris in eodem libro loquitur valdê contemptim. Ex illo quidem tempore usque ad vitae suae finem Londonius comprobavit alcoholis prohibitionem, quae in Civitatibus Unitis post eius mortem demum ad effectum adducta est.

---

<sup>22</sup> Relatio Iacobi Londonii originalis invenitur hîc loco: [Originaltext von Jack Londons Augenzeugenbericht über das Erdbeben von San Francisco 1906](#)

<sup>23</sup> Ecce situs interretialis: [Offizielle Seite von Jack Londons Ranch](#)

<sup>24</sup> De Iacobi Londonii *Praedio Formositatis* ("*Beauty Ranch*"), quod putavit esse opus suum gravissimum: v. apud: [jacklondons.net](#)





**IACOBUS LONDONIUS A.1914 QUO ASPECTU FUERIT.**

### **De Iacobi Londonii vitâ privatâ**

Iacobus Londonius bis mulierem in matrimonium duxit: anno 1900 *Elisabetham „Bess“ Maddern*, quacum per quadriennium vixit et anno 1905 *Charmianam Kittredge*, quae eius coniunx mansit per reliquam vitae partem. Cum Elisabetha uxore primâ amicâ quondam iuventutis suae Iacobus genuit filias *Joan* et *Bessie „Becky“*. Familia aliquamdiu vixit *Pedimontio* in oppido Californiae, ubi Londonius illo tempore litteris mandavit unam ex fabulis suis illustrissimis, quae inscribitur „Vocatus silvarum“ (*The Call of the Wild*). At connubium haud feliciter evasit; Londonius, qui amationes habebat cum variis feminis, iniquê ferebat uxoris rationem cogitandi puritanam, quae ipsa vexabatur mariti potationibus adulteriisque; itaque Iacobus a.1903 familiâ relictâ Franciscopolin transmigravit. Quâ in urbe per amicos communes cognovit *Charmianam Kittredge* filiam cauponis deversorii quinque annis maiorem, hilarem atque eruditam, clavicymbalistriam artis musicae doctam domûsque editoriae secretariam; quam in matrimonium duxit. Hoc coniugium sterile, sed perquam felix factum nec finitum est ante Iacobi Londonii mortem; par coniugum utroque assentiente conubium egit, quod dicitur *apertum*; omnes vitae Londonianae descriptors fide digni inter se consentiunt Iacobum et



Charmianam hōc consortio inter se convixisse quam felicissimê. Charmiana Iacobo superstes fuit quadraginta ferê annis, nullum connubium alterum iniit necnon curavit, ut cinis sui ipsius sepeliretur iuxta cinerem mariti sui mortui sub saxo sepulti, quod situm est prope *Glen Ellen* in locis, quae hodie appellantur *Jack London Historic Park*<sup>25</sup>.

### Quomodo Iacobus Londonius mortuus sit.



**SEPULCHRUM IACOBI & CHARMIANAE LONDONII  
IN PRAEDIO EORUM SITUM**

Iacobus Londonius mortuus est quadragenarius in praedio suo, quod situm erat *Glen Ellen* in vico Comitatus *Sonomae*. Plerique biographi Londonii priores opinati erant eundem auctorem fabularum ipsum sibi mortem conscivisse, sed hodie multi hanc opinionem addubitant. Nonnullis indiciis videtur verisimile esse Londonium mortuum esse morbo uraemiae. Nam Iacobus Londonius annis vitae ultimis laboravit renum quadam insufficientiâ necnon antea propter alias valetudinis difficultates complures iam sectiones chirurgicas subierat. Nescimus an etiam morbus Iacobi alcoholicus aut morphinum dolores mitigans, quod denique sumpsit, contulerint ad mortem eius efficiendam. Nonnulli biographi sentiunt circuitum sanguinis propter valetudinis detrimenta universa Iacobum Londonium defecisse.

Alterâ ex parte indicio mortis voluntariae id esse possit, quod Londonius ultimis vitae annis laboravit animae depressionibus –

<sup>25</sup> De sepulchro Charmianae et Iacobi v. [findagrave.com](http://findagrave.com)

quarum indicia sunt praeter testimonia auctoris ipsius etiam complura aliorum testium – necnon quod ipse Iacobus et in libro, qui inscribitur *John Barleycorn*, et in aliis narrationibus quadamtenus ad vitam propriam spectantibus compluries refert se vi alcoholis affectum compluries conatum esse vitam sibi adimere.

Utriusque hypothesis sunt indicia. Tamen causa, quâ Iacobus Londonius praematurê sit mortuus, adhuc est incerta.

### **De Iacobi Londonii hereditate**

Iacobo Londonio mortuo Charmiana Londonia facta est heres praecipua et procuratrix possessionis a marito relictæ. Pro victu filiarum, Floræ matris, Elizæ sororis, Virginiaeque nutricis quondam Londonii procuratum est. *Bess*, primæ uxori, quacum divortium fecerat, Londonius exactê quinque dolaria reliquit necnon ius domum Dryopolitanam inhabitandi, in quâ olim ipse unâ cum eâ vixerat<sup>26</sup>. Vidua autem litteras a marito relictas dispensavit, cum *Eliza Shepard*, soror Londonii non germana, quâ et Iacobus et Charmiana usi erant familiarissimê, unâ cum filio eiusque familiâ curaverunt praedium colendum<sup>27</sup>. Charmianâ Londiniâ mortuâ – Eliza iam antea eam erat mortua – Shepardiani heredio acceperunt totam Charmianæ possessionem. Itaque usque tempus hodiernum *Shepardii* et *Abbottiani* (qui orti sunt e Iohannâ filiâ Iacobi Londonii) inter se litigant de Iacobi Londonii hereditate accipiendâ<sup>28</sup>.

### **Iacobus Londonius qualia opera scripserit.**

Londonius de societate humanâ quid cogitaverit, apparet e variis operibus ab eo scriptis, velut e »Calce ferreâ«<sup>29</sup> et »Martino Eden« (*Martin Eden*). Iacobus Londonius cum generaliter affirmavit socialismum, tum huic rationi cogitandi quodammodo admiscuit darwinismum socialem; quod nobis hodiernis videtur alienum, sed Londonii coaequalibus erat solitum. Homines, e quibus constat stratum societatis infimum, sunt quidem rudes atque parum culti, sed

<sup>26</sup> De Iacobi Londonii voluntate ultimâ lege hõc loco: [london.sonoma.edu](http://london.sonoma.edu)

<sup>27</sup> Qualis ratio intercesserit inter Charmianam et Elizam, legas hoc loco: [london.sonoma.edu](http://london.sonoma.edu)

<sup>28</sup> *Helena Abbott* (uxor nepotis Iacobi Londonii mortui, cui nomen fuit *Bart*) refert de possessione a Iacobo Londono relictâ: [lotter.org](http://lotter.org)

<sup>29</sup> »**Calx ferrea**«: orig. **The Iron Heel**; fr. *Le Talon de Fer*; hisp. *El talón de hierro*; ital. *Il tallone di ferro*; dacorum. *Călcâiul de fier*; ngr. *Η σιδερένια φτέρνα*.

vi suâ vivendi indomabili, saepe barbaricâ, procul dubio superant homines strati superioris stratique societatis medii, qui sunt moribus depravatis. In Londonianâ fabulâ »Lupi marini« hoc thema maximê valet – protagonista cultus et eruditus, sed effeminatus incidit in hominem „ferum“ (quamvis doctum). Etiam in fabulâ, c.t. »Vocatus silvarum« (*The Call of the Wild*) et in fabulâ, quae inscribitur »Leucodon« (*White Fang*), apparet hic conflictus naturae et humani cultûs civilis. Eodem in opere Iacobus Londonius lupum opponit cani et narrando demonstrat canem domesticum cicurando depravatum et infirmatum facile superari a lupo, qui naturali feritate et selectione sit multo vivacior. Hâc parabolâ bestiarum Londonius comparat hominem naturalem cum homine ad cultum civilem redacto. Idem thema saeculo undevicesimo vertente ab aliis quoque auctoribus tractabatur, e.g. similis oppositio feritatis et domesticationis tractatur a *Selmâ Lagerlöf* Suetâ auctrice fabulae praeclarae aetate Londinii (a.1906/07) in lucem editae, c.t. »Iter Nicolai Holgerssonii mirabile per Suetiam factum«<sup>30</sup>. Hac enim in narratione Martinus anser domesticus gregi anserum ferorum associatus, ut sibi conciliet auctoritatem, non potest, quin desuescat a mollitiâ corporis morumque, quae effecta est domesticatione humanâ.

Saeculo undevicesimo ad vicesimum vertente multi auctores verbis efferebant, quantâ esset sapientiâ grex vel societas vel congregatio collectiva idque demonstrare studebant socialismo cum darwinismo sociali inter se coniunctis. Talis coniunctio idearum, quae nobis hodiernis potius inter se repugnare videntur, illâ aetate percrebrescebat et ubique terrarum ab hominibus eruditis tractabatur. Praecipuê artifices illo tempore haud raro sibi proprias faciebant aliquas doctrinas *Caroli Marx*, *Caroli Darwin*, *Arthuri Schopenhauer*, *Friderici Nietzsche* inter se coniunctas. Similem doctrinarum synthesin colebat *Augustus Strindberg* auctor Suetus et coaequalis Iacobi Londonii.

---

<sup>30</sup> orig. *Nils Holgerssons underbara resa genom Sverige*; angl. *The Wonderful Adventures of Nils*; theod. *Die wunderbare Reise des kleinen Nils Holgersson mit den Wildgänsen*; fr. *Le Merveilleux Voyage de Nils Holgersson à travers la Suède*; hisp. *El maravilloso viaje de Nils Holgersson*; ital. Il viaggio meraviglioso di Nils Holgersson.

**THEODISCAM SYMBOLAM  
WIKIPEDIANAM**

**DE IACOBO LONDONIO**  
*(Jack London)*

**AMERICANO AUCTORE**

**FABULARUM ADVENTUROSARUM**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**



## **DE SECURITATE SOCIALI**

Non solum in Europa, sed ubique terrarum quaeritur, unde victus senibus satis comparetur, cum hi ex suo labore pecuniam iam adipisci non possint; non solum senes sed etiam qui gravi morbo sunt affecti aut qui ex infortunio professionali sive in sempiternum sive aliquamdiu sunt infirmi, suis opibus vivere nequeunt et auxilium requirunt; itaque nostris temporibus orta sunt systemata publica, unde et senibus et infirmioribus satis pecuniae detur; haec plerumque dicitur *securitas socialis*, quae in duas partes dividitur: una autem spectat ad solvendas pensiones menstruas, quas accipiunt, quos vel aetate propecta emeritos nuncupemus vel mancos, qui laborare non possunt, altera pars securitatis socialis spectat ad eos adiuvandos, qui temporarie sint infirmi et aegroti, donec denuo laborare possint. Hic agitur de pensionibus, quae solvendae sunt senibus emeritis.

### **Securitatis socialis ortus**

Securitas vero socialis originem capit a temporibus Ottonis Bismarck, qui saeculo XIX exeunte arcam communem condidit eo consilio, ut iis, qui ad senectam pervenerint nec laborare potuerint, pensio mercedis loco daretur; hoc systema in Borussia ortum in reliqua Europa et mundo universo usurpatum est<sup>1</sup>; attamen ea beneficia, quae omnes hoc systemate se accepturos esse sperabant, longo tempore post non acciderunt, propterea quod gravibus vitiis afficitur scilicet, - quod gravissimum est – contributum, quod quisque activus operarius in arcam communem transfert, non congruit cum retributione ex arca ab eodem iam emerito accepta; immo contributa lege statuuntur, retributiones et lege definiuntur; inde plerumque accidit, ut beneficia, quae emeritis retribuuntur, valde minora sint contributis ab eisdem in arcam mandatis; interdum tamen retributiones sunt maiores, cum aliqui operariorum coetus auctoritatem gubernationis premant, ut eorum pensiones augeat; exinde non fit iustitia, sed systema inaequale et pravum; hac consuetudine diu inveterata efficitur calamitas, quia homines alliciuntur, ut minus contribuant et simul maximam retributionem postulent, nam retributiones lege augeri possunt sine contributionum respectu; praeterea candidati, qui munus praesidentis

---

<sup>1</sup> José Piñera: *La experiencia chilena y su impacto en el mundo*, en AFP: 25 años, un modelo exitoso, Libertad y Desarrollo, Santiago, julio de 2006, pág.27 y ss.



parlamentumve petunt, saepe promittunt pensiones adeo auctas, ut ex aerario fiscali solvi non possint; talia promissa proferuntur eo consilio, ut operarii sive officiales sive privati eisdem suffragio faveant, dum promissa in futuras nationis auctoritates procrastinari possint<sup>2</sup>.

### **Systema imperfectum**

Vitia autem, quibus hoc systema afficitur, etiam maiora sunt quam ea, quae saeculo XIX exeunte aestimari potuerint, nam arca plerumque fiscalis ex qua pensiones emeritis solvuntur, aliter contributionibus, quas operarii activi in arcam aerariumve transferunt, adeo ut dici possit emeritos ab activis ali, quod quidem temporibus praeteritis sufficiebat, sed hodie sexagenariorum numerus in dies adeo crescit, ut 30 annis transactis sit triplex. Inde fit, ut operarii activi non sufficiant (nec hodie alicubi sufficiant) ad arcam sive communem sive fiscalem adimplendam; praeterea senes aetate nunc fruuntur proveciore quam antea, nam multi annum quinquagesimum antea non celebrabant; ceterum atociis pervulgatis mulierum fertilitas aliquatenus deminuta est.

### **De altero systemate**

Hoc systema, de quo supra disseruimus, vocatur *systema distributionis* propterea, quod de arca, qua contributiones continentur, pensiones senibus emeritis distribuuntur; his de causis in Chilia coeptum est excogitari alterum systema, quod vitiis ante dictis careret; itaque anno 1980 ortum est novum systema, quod Latine vocabimus *systema thecarum individualium*. In hoc contributiones non inferuntur in arcam communem, sed in cuiusque operarii thecam; de his autem thecis curat ea organizatio privata, cui operarius administrationem mandaverit; quae organizationes lege constituuntur et pecuniam, quam thecae in totum continent, in mensarum sive capitalium mercatu collocant eo consilio, ut fenus in operarii thecam revertatur; sic operarius thecam examinare potest rationemque de ea habere.

---

<sup>2</sup> Vid. P. Kangiser: *De pensionibus solvendis*, Ephemeres, 19/9/2010; <http://www.alcuinus.net/ephemeres/archi2010/nuntius1.php?id=866>

## **E novo systemate qualis proventus sit.**

Administrationis vero causa organizationes mercedem ab operariis poscunt, quam de thecis viritim deducunt; at non omnes eadem sollertia pecuniam collocant; inde patet esse posse organizationes, quae fenus maius quam aliae adscriptis operariis ferant; optime accidit, ut post triginta annos e tota pecunia in thecis individualibus cumulata fere tertia pars ab operarii contributionibus eveniat reliqua e fenore, quod organizatio administrativa de mercatu capitalium captat; neque spernendum est, quod in Chilia, natione paene paupere, opes cumulatae in omnium thecarum summa est dollariorum 160 milium milionum (US\$160.000.000.000), id est patrimonium *Vilelmi Gates* fere triplum; haec duo systemata (distributionis et thecarum individualium) multis rebus inter se differunt, quas hic non est locus, ut explicentur, sed aliquae e supra dictis conspicuae sunt. Tamen nihil perfectum est; etiam systema thecarum individualium perfici potest<sup>3</sup>.

## **DE SECURITATE SOCIALI**

### **RETTULIT**

**PAULUS (*Pablo*) KANGISER**

**IACOBOPOLITANUS**

**(*Santiago de Chile*)**

---

<sup>3</sup> Cecilia Cifuentes, Alejandra Candia y varios autores: *PENSIONES: propuestas para el futuro*, Ediciones LyD, Santiago de Chile, 2015

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI –  Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschenba ch	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoe s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoe s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM  REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90



		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM SEXTAM DECIMAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Martis, 30. m. Aug. a. 2016**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**